



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658


Pius Papa V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

deductum. *Quaranta ibidem. Garcias de benef. part. II. cap. 3. §. 2. num. 161.*

*Potestas
Episco-
rum in ad-
mittendis
resignatio-
nibus li-
mitata.*

§. 6. Quibus prælibatis, *Respondeo primò*, licet olim Ordinarii scilicet Episcopi Diocesani potuerint passim quorumcumque beneficiorum Sedi Apostolicæ non reservatorum resignationes simplices admittere, *c. admonet. 4. de renunciat. gloss. in Clem. unic. in verb. manibus. eod. tit. & inc. de regularibus. 25. verb. dimittant. de simon. hodie tamen per Constitutionem Pii Papæ V. potestas illa est restricta & determinata ad certos duntaxat casus, quos ex eiusdem sanctionis Pontificiæ hîc adscriptæ tenore uberius cognoscere lubebit.*



PIUS PAPA V.

Exordium



AD perpetuam rei memoriam. Quanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam latè perspiciant, & cum mœrore expendant Præsules omnes & Pastores, quando hæc pernicies cæterarum omnium maxima tam multas orbis Ecclesias impiè violarit.

*Pis Papa
5. Constit.
58. Bullar.
iii tom. 2.*

*Hic Pon-
tiff. & alias
suspendit
facultates
admitten-
di resigna-
tiones be-
nificiorum,
& de illis
sic vacan-
tibus dis-
ponitur.*

Num. I. Quia verò hoc malum cum in cæteris frequens, tum maxime in beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet, quod perinde de reprimendis quotidianis fraudibus, quæ hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem initari, officii Nostri partes in prohibenda omnibus interim resignatio-

num

num huiusmodi receptione paulò severiùs interposuerimus, omnesq; beneficiorum interim resignandorum dispositiones, quæ fierent, in irritum revocaverimus, ac etiam decreverimus, nullum per eas in illis ius, neque titulum vel coloratum) tam in petitorio, quàm in possessorio ipsis provisum tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuò inhabiles fore. Collatores verò aliàs in illorum dispositione, etiam tanquam devolutionis iure, sese interponere non posse, sed de eis ut verè vacantibus, sive per Romanos Pontifices, sive alios collatorum eorundem Superiores, uti præventum esset, libèrè provideri.

II. Nunc autem intendentes institutum hoc Nostrum, quo Sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino persequi, ac simul quantum est in Nobis, cauere, ne resignationes ipsæ dehinc pro cuiusque arbitrio, nullisq; vel certè leuibus de causis passim & temerè admittantur, prohibitionem, & alia prædicta, ac cætera omnia Nostris super his literis contenta eatenus relaxamus, ut posthac Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere & admittere possint, qui aut Senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiiati, aut crimini obnoxii, censurisq; Ecclesiasticis irretiti aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire; seu qui unum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contingerit promoveri; Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exe-

Modo declarat. quæ resignationes de cætero admitti & recipi possint per Ordinarios Episcopos & Diocesanos.

quantur. Denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione fel. record. INNOCENTII Papæ III. de dimittendis cathedralibus ecclesiis edita continentur. Qui etiã ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi, sed nec horum ullus Sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat ullo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit provisum, quo in vita possit commodè sustentari. Adhæc beneficiorum & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur.

Hæc Innocentius 3. Constitutio est in c. 10. de renunciati.

Et præcipit Episcopis, præsentatoribus, & electoribus, quæ cave-re debeant.

III. Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes electores, præsentatores & patroni, tam ecclesiastici, quàm Laici quicumque sint, ne verbo quidem, aut aut nutu, vel signo, futuri in huiusmodi beneficiis & officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

Prohibetque beneficia resignanda conferri consanguineis collatorum, vel resignantium.

IV. Ceterum præcipimus atque interdiciamus, ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de beneficiis, & officiis resignandis prædictis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere; quod si secus, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere.

V. Qui

V. Qui verò contrafecerint, ut in eo, quo deliquerint, puniantur, à beneficiorum & officiorum collatione, nec non electione, præsentatione, confirmatione & institutione, prout cuique competierit, tam diu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere; & qui talia beneficia seu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subjacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere ausi fuerint, excommunicationis quo ad personas, quò verò ad Capitula & Conventus, à Divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus; quibus etiam nullus alius, quàm ipse Romanus Pontifex, sive absolutionis, sive relaxationis gratiã (excepto mortis articulo) valeat impertiri. Prohibitione, & literis Noltris prædictis nihilominus in cæteris omnibus perpetuò valituris.

Contravenientibus pœnas infligit.

VI. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus & specialibus, quibuscumque Episcopis & aliis superioribus, ac inferioribus Ecclesiarum Prælatiis, nec non Ecclesiis, Monasteriis, & Capitulis, Conventibus, Collegiis, & Universitatibus, eorumq; & aliis personis, etiam Regiã, & Imperiali Majestate præditis, sub quacumque verborum forma, & conceptione concessis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodocumque, vel differri: etiamsi de eis, ipsorumq; totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, nec non Ecclesiis, Monasteriis, locis, Ordinibus, & dignitatibus; de quibus, nec non causis, propter quas illa concessa sunt, specialem & expressam præsentibus fieri oporteret mentionem,

Contrariis derogat.

VII.

*Publicari
hanc Con-
stitutionē
jubet.*

VII. Ceterum jubemus easdem presentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Flori publicari, & earum exempla affigi, Volumusque eas sic publicatas, omnes & singulos perinde afficere & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ.

*Exemplis
credi man-
dat.*

VIII. Exemplis quoque prædictis, etiam impressis, manuque Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus curiæ obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis presentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octavo. Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri anno tertio.

*Constitutio
ista expli-
catur.*

§. 7. Ex qua quidem Constitutione manifestè patet, eas tantum coram locorum Ordinariis Episcopis Diocesanis admitti resignationes, quæ fiunt ex causa senii, vel infirmitatis, aut si resignans sit corpore impeditus, utpotè ob lepram, scabiem herculeam, paralyim, apoplexiam, morbum comitialem, chiragram: vel vitiatus, qualis est cæcus utroque oculo, claudus, loripes, gibbosus, aut aliàs notabiliter diminutus quâlibet corporis parte, aut crimini obnoxius, veluti simoniacus, homicida, adulter, concubinarius, inforDESCENS in excommunicatione, perjurus, blasphemus ante privationis sententiam, vel censuris Ecclesiasticis subjectus, aut qui nequit Ecclesiæ inservire, quales sunt prioris articuli exempla; quibus adde Clericum bannitum, damnatum, mutum, & qualemcumque irregularem; insuper ob vitam scandalosam & probrosam, imperitiam, sive illiteraturam, execrabilitatem, seu beneficiorum incompatibilium pluralitatem, status mutationem; si videlicet Clericus matrimonium est contracturus, vel religionem ingressurus, paulò antequam profiteatur; nec
non

nōn ob causas relatas in *c. nisi cum pridem. 10. de renunciat.* quæ his duobus versibus continentur.

*Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis ;
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

§. 8. Denique eorum resignationes poterunt recipere, qui nequeunt, aut non audent in loco beneficii residere propter capitales inimicitias. Prohibetur tamen Ordinariis, ne beneficia ad ipsorum manus renunciata conferant suis, vel dimittentium consanguineis, affinis, vel familiaribus, de quibus latè vide *Flamin. Paris. de resignat. lib. 5. quest. 6. per tot. Quarrantam loc. pracit. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 19. quest. 5. ferre. Chokier ad reg. 43. aliàs 44. num. 54. & seq. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 2. usque ad num. 113.*

Episcopi nequeunt beneficia resignata suis, vel dimittentium consanguineis com.

§. 9. Respondeo secundo, in casibus prædictâ Constitutione expressis, possunt Episcopi Diocesani in quocumque etiam mense beneficiorum resignationes admittere, eaq; liberè conferre, non obstantibus Concordatis Germaniæ; dummodò tamen sint talia, quæ aliàs in mensibus non reservatis per obitum vacantia ad ipsorum Ordinariorum dispositionem pertinerent, & resignatio in illo casu, alio speciali jure non sit prohibita, prout prohibetur resignatio promovendorum ad Pontificalem Dignitatem *c. cum in cunctis. 7. §. cum verò. de elect. & reg. 26. cancell. Branden ad Concord. German. quest. 9. & 12. num. 13. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 14. num. 31. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 2. num. 3. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 29. & 30. nec non ad reg. 24. num. 19. & seq.* Siquidem per reservationem Concordatorum non censetur Pontifex voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ facere deterio- rem, seu durio- rem, illisve plus detrudere, quàm solent Pontifices aliis Episcopis aliarum provinciarum: at per reservationem Regularum Cancellariæ Apostolicæ, quibus ligantur omnes Ordinarii, solent Pontifices excipere modum vacationis per resignationem, ut expressè quoque habetur in *reg. 9. cancell. Aliàs, quàm per resignationem quocumque modo vacatura &c.* Vbi reservat beneficia omnia in mensibus alternati- vis quocumque modo, & aliter, quàm per resignationem va-

Episcopi in quovis mense ad- mittunt beneficiorum resigna- tiones & permuta- tiones.

S

cantia,

cantia; atque ita ex identitate rationis etiam per renunciationem ex causa permutationis, ut minus, quam fieri possit, vitetur reservatio, & juris communis correctio, *c. cum expediat. 29. de elect. in 6.* quia permutatio includit in se resignationem in favorem permutantium, & nihil aliud est, quam reciproca resignatio, quæ fit inter utrumque permutantium, *text. in c. unico de rerum permutat. in 6. & Clem. unic. eod. tit.* ut proinde non secus, ac simplices resignationes, ab Episcopis etiam in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis, expediri valeant, uti definit sacra Cardinalium negotiis Episcoporum præpositorum Congregatio, teste *Gavanto in manuali verb. beneficiorum permutatio. n. 5. Branden dicta. quest. 12. num. 13-14. & 15. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 14. num. 32. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 2. n. 543. Chokier in tract. de permutat. part. 1. cap. 3. & ad reg. 8. cancell. gloss. 7. num. 5. & gloss. 11. num. 29.*

An Episcopo inferioribus possint recipere resignationes?

§. 10. An verò Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Decani, Capitula, aliiq; collatores Ordinarii Episcopo inferiores, valeant recipere resignationes, & permutationes beneficiorum ad ipsorum collationem spectantium, non adeò expedita est quæstio, variâ & ambiguâ Doctorum opinione implexa: verumtamen ut ego hîc meum fatear scrupulum, in praxi tutius & verius, ac stylo Romanæ Curie conformius semper existimavi, nequaquam posse; Superior enim, quæ auctoritatem præstat resignationi, non intelligitur collator, sed is, qui potestatem habet instituendi & destituendi, *gloss. in Clem. unica. verb. manibus. de renunciat. Rot. decis. 6. aliàs 311. n. 2. de rer. permutat. in nov. & decis. 8. aliàs 290. de renunciat. in antiq. & apud Bisignet. decis. 5. de renunciat. & apud Mantica decis. 68. n. 6. & decis. 260. n. 7.* quia renunciatio habet vim destitutionis, cum per eam renuncians desinat esse intitulatus & beneficiatus: ideò non mirum, si non possit fieri, nisi coram eo, qui potest destituere, videlicet Episcopo, ad quem tam institutio, quam destitutio Sacerdotum noscitur pertinere, ut loquitur *text. in c. ex iniuncto 12. de heret. c. admonet. 4. de renunciat. Abb. in c. accepta. 3. de vestit. Spoliat. num. 8. Rot. apud Card. Mantica cit. decis. 260. n. 7.* unde non valet consequentia, potest instituire, ergò potest

test destituere; nam unum fit judicialiter, alterum extrajudicialiter, & jurisdicctio voluntaria non includit contentiosam, *Abb. in d. c. accepta. 3. prope fin. de restit. Spol. Chokier de iurisdicct. Ordin. in exempt. part. 4. quæst. 67. num. 2.* Et ita licet collatio beneficii spectet ad inferiorem Episcopo, ejus tamen resignatio debet fieri in manibus Episcopi Diocesani, collatio autem ab inferiore, ad quem spectat, vel ab Episcopo cum illius consensu, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 3. quæst. 4. num. 64. & lib. 7. quæst. 14. num. 17.*

S. II. Generaliter ergò tenendum est, quod Prælati, & alii quotquot collatores Episcopo inferiores, utpote jure speciali beneficia conferentes, quoniã destituere nõ possunt, resignationibus auctoritatem non interponunt, uti censent *Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. renunciatio. ad quartum. Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. quæst. 30. à num. 6. usque ad fin. & quæst. 14. 15. & 16. per tot. Sanchez consil. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 31. num. 9. & cap. 2. dub. 29. num. 1. & 2. tom. 1. Azor. insit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 19. quæst. 7. Gregor. Tholos. tract. de benef. cap. 31. sub num. 11. Rebuff. in praxi in forma vicariatus. num. 104, 105. & 106. Garcias de benef. part. 11. cap. 3. §. 1. num. 251. & seq. Chokier tract. de permutat. benef. part. 1. cap. 12. num. 3. Canisius ad lib. 3. Decretal. tit. 9. num. 5. Barbosa de off. & potest. Episc. alleg. 69. num. 1. & 4. Ac persæpè à supremo Rotæ Romanæ Tribunali decisum est, & nominatim decis. 6. aliàs 311. de rerum permutat. in nov. & decis. 5. aliàs 218. & decis. 8. aliàs 290. num. 1. de renunciat. in antiq. ac decis. 5. eod. tit. in antiquior. nec non apud Card. Mantican decis. 68. num. 6. ubi. Tertio obijcitur, quod etsi constaret D. Antonium de Toledo, qui contulit beneficium, esse Commendatorem, & ad ipsum spectare ius conferendi, tamen cum sit inferior collator, non potuit admittere resignationem: quia huiusmodi facultas ei tantum conceditur, qui potest instituire & destituere. Quod & confirmatur decis. 260. n. 7. penes eundem Mantican, & novissimè apud Duran part. 1. decis. 237. num. 20. & 21. hisce verbis. *Et tantò minus, ex quo dicta libera resignatio fuit facta coram inferiore Collatore, qui non potuit acceptare, sed debuit fieri coram Episcopo, quã facta & admissa, poterat inferior collator alii conferre, & non aliter, ut quotidie practicatur. Et ratio est, quia**

Tutior est
sententia
negativa.

dimissio ad effectum abdicandi ius, debet fieri coram illo, qui nedum habet potestatem instituendi, sed etiam destituendi; quales sunt Papa, Legatus à latere, & Episcopus, non autem Collator &c. Haecenus Rota non minus doctè, quàm eleganter.

Item est in
permuta-
tionibus.

§. 12. Et idem est in permutationibus beneficiorum, quas præter Papam, & Legatum de latere, soli Episcopi recipiunt. *text. in c. quasitum. 5. de rerum permut. & c. admonet. 4. de renunciat. gloss in Clem. unica verb. conferantur. de rerum permutat. Rebuff. in praxi. tit. de permutat. n. 20 & in 3. part. signat. vers. nec non iuris patronatus. num. 42. Navarr. consil. 97. num. 2. lib. 5. Decretal. de simonia. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. num. 196. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. vers. Quarto quaritur. & seq. Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 25. tit. 8. num. 1. 2. 3. & seq. & optimè D. Aluin de potest. Episcoporum. cap. 11. num. 5. 10. 11. & 12. Garcias de benef. part. 11. cap. 4. num. 68. & 69. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 5. num. 175. Chokier de permutat. benef. part. 1. cap. 6. num. 1. & cap. 7. num. 4.*

Rota Ro-
mana De-
cisiones
maximas
sunt au-
thorissimas.

§. 13. Præmissa porrò Rotæ Romanæ interpretatio, non obstantibus contrariis privatorum Doctorum sententiis, omninò sequenda est, & à prædictis Ordinariis Collatoribus Episcopo inferioribus quandoque potestatis suæ in hisce limites excedentibus, & Episcopalia jura usurpantibus meritò attendenda, cum exploratum sit, Decisiones Rotæ maximi apud omnes esse ponderis, & majoris auctoritatis, quàm communem Doctorum opinionem, ut ab ea recedere, vel eidem refragari nefas reputetur. *Gomez ad reg. cancell. in proæm. quest. 2 §. quarto. Vestrius in praxi lib. 2. cap. 17. in annot. num. 2. & 3. ac lib. 6. cap. 1. num. 18. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. Rota tribunal. Gregor. Tholosan in syntagm. iur. univers. lib. 15. cap. 29. num. 15. & cap. 42. num. 15. ubi ait, Auditorum Rota iudicia pro oraculis haberi. Garcias de benef. in præfat. Chokier ad preces primar. sect. 3. sub lit. B. Gndelinus de iure no viss. lib. 6. cap. 3. num. 11. ubi sic inquit. Præmittendum verò hic non est, nobilissimum & summum illud tribunal, vocant Rota, in quo duodecim clarissimi iuriconsulti Auditores audiendis cognoscendisq; causis, qua undique ad iudicium summè Pontificis deferuntur, deputati, quorum Decisiones tanti ubique sūt, ut penè pro Constitutionibus Pontificiis allegentur. ita ille.* §. 14.

§. 14. Vnde rectè concluditur, quod Abbates, aliiq; Prælati supranominati Episcopo inferiores, haud possint resignationibus, aut permutationibus beneficiorum recipiendis sese intromittere, nisi sint tales, qui consuetudine, aut ex privilegio Summi Pontificis habeant ius Episcopale, seu iurisdictionem quasi Episcopalem, nulli Episcopo proximè subiecti, quod insinuari videtur suprâ adductâ Pii Papæ V. Constitutione, nam ibi post Episcopos, subiungitur, & alii facultatè habentes, eorum duntaxat resignationes recipere & admittere possint, quæ aut senio confecti &c. gloss. in Clem. 1. de rebus Eccles. non alienan. verb. proprii. Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. quest. 16. n. 6. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. quest. 4. Garcias de benef. part. 11. cap. 3. §. 1. nu. 254. & cap. 4. num. 70. Canisius loco præcit. Chokier in trac. de permutat. benef. part. 1. cap. 2. sub num. 6. & cap. 6. num. 2. D'Alvin loc. cit. num. 12. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 69. num. 4. & de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 5. num. 175. cùm Episcopalia iura ab inferioribus per præscriptionem possint acquiri, c. auditis. 15. & c. cùm olim 18. de præscript. D'Alvin cap. 12. num. 4. & cap. 22. num. 20. Canisius loco cit. Rota decis. 324. num. 12. part. 1. recent.

§. 15. Cæterum in permutationibus, uti & resignationibus requiritur consensus illorum, ad quos collatio, electio, seu præsentatio pertinet, sive sint Clerici, sive laici, quia ipsorum interest, quamvis Episcopus totum debeat expedire, gloss. in c. unico verb. collationem. de rerum permutat. in 6. & in Clem. unica. verb. conferantur. eod. tit. Rebuff. loco antecit. num. 21. Lessius suprâ num. 193. & 198. Garcias de benef. part. 11. cap. 3. num. 22. & cap. 4. num. 72. Chokier de permutat. benef. part. 1. c. 12. num. 2. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 15. §. 5. num. 182. Quamvis Piafec. in praxi Episc. par. 2. cap. 5. art. 1. num. 16. & 17. usitatio-rem doctrinam censeat, quod nimirum beneficium patronatum resignari possit absque consensu patroni, minimè tamen confertur absque eius consensu: & ita à Rota Romana decisum refert idem Piafec. ibid. Quin & dum permutatio vergit in utilitatem Ecclesiæ, sufficit patronos tantum requirere,

Itaque Abbates, & quoslibet alios Episcopo inferiores, nisi iura Episcopalia habentes, nequeunt resignationes, aut permutationes recipere.

In resignationibus & permutationibus beneficiorum requiritur collatorum, electorum, & patronorum consensus.

licet consentire nolint. *Rebuffus loco cit. num. 22. Lessius supra. Garcias loco cit. cap. 3. num. 26. 27. 28. & seq. & ita à S. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Congregatione declaratum refert Chokier in trac. de permutat. benef. part. 3. cap. 19. sub num. 10.*

In permutacionibus beneficiorum diversarum dioecesium requiritur utriusque Episcopi auctoritas. §. 16. Interim pro praxi obiter est advertendum, dum beneficia quæ permutantur, sunt diversarum Dioecesium, requiri utriusque Episcopi auctoritatem; quia in permutatione duorum beneficiorum utrumque dimittitur, & utrumque confertur, ac proinde necesse est, ut utriusque Episcopi intercedat auctoritas, seu coram utroque fiat resignatio, & postea ab eodem collatio, seu unus alteri committat vices suas, *gloss in c. unico. verb. collationem. de rerum permutat. in 6. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. quest. 8. Sanchez consil. moral. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 38. num. 10. Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 25. tit. 8. num. 9. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubitat. 36. n. 197. Malderus in 2. 2. D. Thoma. trac. 9. cap. 3. dub. 10. versic. beneficia diversarum &c. Chokier de permutat. benef. part. 1. cap. 14 per tot. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 69. num. 10.*

Non tamè uno eodèq. tempore. §. 17. Non tamen est necesse, ut uno eodemq; tempore utriusque auctoritas concurrat, ut ait *Rebuff. in praxi tit. de permutat. num. 37. & 38. Lessius loco cit. est tamen tutius, teste Sylvestro verb. permutatio, §. 2. post n. 13. conclus. septima. & Chokier loco præcit. num. 1.*

Causa in quo commutans utrumque beneficium assequitur. §. 18. Hinc sequitur, si *Petrus & Paulus* permutent sua beneficia, & *Paulus* resignet prior, factaq; resignatione & collatione, moriatur, antequàm *Petrus* resignationem sui beneficii faciat, *Petrus* habiturum utrumque, si sint compatiblea, & posse gaudere bonâ fortunâ. *Rebuff. supra num. 38. Lessius ibidem num. 197. Malderus loco cit. in respons. ad quest. 8. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 29. quest. 29. Garcias de benef. part. 11. cap. 4. num. 10. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 19. §. 5. sub num. 169.*

A. Ordinarium possunt conferre. §. 19. An autem Ordinarii vigore Concordatorum Germaniæ in mensibus suis conferre queant beneficia ex tacita resignatione, seu de iure vacantia, meminimus nonnihil *suprà, hoc tit.*

hoc tit. dub. 1. §. 22. & pro uberiori eius cognitione Lector con-
fulere poterit Chokier ad reg. 8. gloss. 7. à num. 13. per tot.

re beneficii
de iure va-
cantis.

D V B I V M X.

An beneficium resignatum non factâ mentione,
quod resignans ad illius titulum Sacris Ordinibus
fuerit initiatus, si contingat illum in mense Ordini-
nario decedere, vacet per obitum; ita ut non ob-
stante resignatione, valeat per Ordinarium
in vim Concordatorum Germa-
niæ conferri?

§. 1. **R**espondeo primo, à Tridentina Synodo sess. 21. cap. 2. *In resi-
gnatione
beneficii
exprimi
debet an
fuerit ti-
tulus ordi-
nationis.*
rectè sancitum esse, ne beneficium, ad cuius ti-
tulum quis ad sacros Ordines promotus fuit, ipse
resignare valeat, nisi factâ mentione expressâ, quod fuerit ad
illius titulum sacris Ordinibus insignitus; quo quidem casu,
nec etiam tunc erit admittenda resignatio, nisi constiterit, quod
aliunde vivere commodè possit ipse renuntians: ita ut utrum-
que iuxta Concilium Tridentinum *loc. cit.* debeat necessariò
exprimi, & quod sit promotus ad Ordines ad titulum talis be-
neficii, & quod habeat aliunde, unde commodè vivere possit;
quod etiam colligitur ex *c. Sanctorum, c. neminem. dist. 70. c.
Episcopus. 4. c. tuis. 23. de preben.* Unde in resignatione beneficii
non sufficit postea constare resignantem tempore resignatio-
nis habere aliunde, unde vivere queat, sed tempore resigna-
tionis debet fieri mentio, quod ad illius titulum fuit ordinatus,
& ante admissionem constare Superiori, quod aliunde habeat,
unde vivere possit: alioquin aliter facta resignatio est irrita &
nulla, ex clausula annullativa eiusdem Concilii *d. cap. 2.* Nam
hæc: